6.

QVAESTIO
NON MINVS PVLCHRA, QVAM VTILIS
DE SARZAEPARILLAE, ET LIGNI SANCTI VIRIBVS,

Habita à D. HIERONYMO MINETTO Aretino, in Senensi Academia Anatomico, Cum D. LIVONIO RECTORIO, in eadem Academia Theoricam Profitente.





SENIS,
Apud Lucam Bonettum. MDXCIII.
Superiorum permissu.

ILLVSTRI ATQVE ADMODVM R. P. D. PIO NVTO EX FAMILIA OLIVETANA.



VM perdifficile semper fuit, Reuer. admodum Pater, Naturæ secreta rimari, tum simplicium medicamentorum vires persequi, parum vel certum, vel tutum. Non mirum igitur, si Medicorum industria in eam cognitionem incumbit, per quam hominum saluti præcipuè consulitur. Inde factum, vt elapsis diebus, inter me, & D. Liuonium Rectorium circa Sarzaparillæ, ac Ligni Indici vires altercatio coorta sit. Quam, literis mandatam, quòd & medicamenta communia examinat, eaque ex occiduis regionibus, & habet aliquid iucunditatis, per typos edere consilium fuit, & tibi, quæ tua est benignitas, nostri amantissimo commendare. Quamquam enim grauissimis, ijsque assiduis curis distineris, tum publicis, tum priuatis;

amicißimi tamen quid quid eſt hoc munuſculi percurrere non aſpernaberis, & à parum æquis iudicibus tutabere: qui tot annos, tanta cum laude, Illuſtrißimæ iſtius Congregationis molem suſtinuiſti, ædificia extruxiſti, monſtra ſubinde naſcentia peremiſti; gratus demum ſummis, vt infimis fuiſti. Vale, meque, vt facis, ama, & DEVS Optimus Maximus longæuam tibi fælicitatem concedat. Datum Senis tertio nonas Februarij 1593.

Hieronymus Minettus Aretinus.

EXCELLENTI D. HIERONYMO MINETTO,

LIVONIUS RECTORIUS S. D.



Vdivi sæpius à quibusdam sapientibus viris (extant enim in hac Ciuitate nostra quamplurimi, & pleriq; ipsorum studiosissimi) te Paradoxa quædam, atq; à veritate aliena ad artem Medicam spectātia pronunciare, atq; aliorum gesta reprehendere, quod cum mecum idem experiri tētaueris, ommissis quibusdam alijs, de quibus disserendum in præsentia non mihi videtur, confirmare ausus fuisti Salsam Pariliam, esse magis calidam, quam Lignum Guaicum; Prætermitto nunc tuum dicendi, ac differendi modum quem sanè admirantur omnes, & eò magis, quia te vnicum contra tantos celebres Scriptores, pugnam sumere, audere intelligunt. Ipse enim fateor à quocunq; Doctore recte & rationabiliter scribente doceri posse, at rationibus firmis Demonstratiuis, Phisicisq; adherebo semper magis, & vnquam in authoritate vnius viri tantum, et si percelebris, persistam, eiusdemq; sententiam temere enunciabo. Sed ad id quod magis vrget accedamus.

Legi multos de Ligni natura & Salsæ peragentes, at Dubitantem, aut quid sit eorum calidius in litem vertentem, reperi neminem; & quoniam doctissimorum Interpretum auctoritates, te non vrgent, infinitæ enim propemodum essent, rationibus insistemus, & ea breuitate

qua poterimus, potiores explicabimus, vt cognoscas tandem, quantum aberres, & quam minimam operam scriptis, ac doctrinis celeberrimorum virorum dederis, tu ipse animaduertas.

Notum est, quod Medicina non dicitur calida, aut frigida, nisi quia talem qualitatem potest in corpore nostro imprimere, vt docuit Galenus sparsim in lib: de simplic: Quæ facultates ratione venandæ sunt, & hæc ab operationibus originem ducunt, & operatio experimentum facit, vnde velis nolis, experimento tanquam effectui à causa prouenienti, credendum.

Medicina igitur, quæ procedit calefaciendo, & caliditatem semper addit, calida est, At sumamus ligni, & Salsæ decoctum, & in ore detineamus, nulli dubium, quod magis percipiemus caliditatem illius, quam huius: Immo in gutture remanet, & sentitur caliditas, & inflammatio maior ex ligno, sic arguunt Practicantes.

Præterea lauentur vlcera, aut pars aliqua morbosa, aut sana ex vtroq; decocto, omnes fatebuntur, se percipere caliditatem notabilem magis ex ligni aqua, quam salsæ.

Addo, quod secundæ seu accidentales qualitates idem arguunt, nam sapor, & odor, sunt signa quibus speculatiui, & Medici Philosophi in cognitionem veniunt primarum qualitatum, sic docebat Gal: sec. de simplic: cap. 4. nec non Arist: sec. de Anima odorem acutiorem, & potentiorem, percipimus magis ex ligni decoctione, quam salsæ; quod sensu ipso effugi non potest.

Sapor præterea est amarior ligni, ergo calidior; consequens valet, eo quod amarum sit (Galeno teste 4. de sim-

plic: cap. 9.) à caloris excessu. Insuper est acris magis, ac mordax, ergo calidior; Palatum enim stimulat, vlceraq; vellicat, vt omnes scribunt Doctores, & experientia ipsa docet.

Adiungitur esse calidiùs lignum, tum extensiue, tum intensiue; primo modo iam patuit, secundo patebit, & ratio est, quia lignum est pinguedine præditum, vnde ob hanc causam, calor magis perdurat, & agit; & hac forsitam ratione, magis diureticum esse, confirmant multi sapientes Medici.

Argumento etiam esse potest, Salsam esse frigidiorem, quia Practicantes de imbecillitate ventriculi orta à frigiditate, consulentes, imperant Salsæ potum vitandum, quia ob frigiditatem obesse potest, sic testabatur Tomitanus Philosophus & Medicus Excellentissimus: Unde lignum econtra ventriculi imbeccillitati conducere quam plurimum, experimento ipso testabatur Fallopius lib: de Morbo Gallico, cap. 4.

Et Moderni omnes de morbis frigidis pertractantes, consulunt, tutius & rationabilius fere vti ligni decocto, quam salsæ.

At posteaquam calidum magis omnes, seu pleriq; fatentur, & subministrant, quærendum est, an hoc tantum arte fiat, an sola opinione; Si arte, ergo iudicio simul, seu ratione, aut experientia; Si opinione sola, ignorantiam afferret; Ars enim & experientia certitudinem gignunt; Non erit igitur experientiæ nuda, aut opinionis inuentio, quia esset non securus experiendi modus, periculosus, ac difficilis. Jure igitur, & non ab re experimento

confirmatur, calidiores effectus ligni decoctum parere, quam salsæ.

Et si dubitare possis; quia lues Gallica aliquando magis castigatur à salsa; Citius caliditatis notas producit; Respondemus dicentes, quod qui sic dubitant, ignorare videntur Salsæ & ligni vires; Nam id euenit, quoniam luis caliditatem salsa corrigit, & castigat; lignum verò, augendo potius caliditatem, noxam infert, vt experimento colligi potest, in Muliere illa, quæ à te curabatur; Ratione vero siccitatis magis iuuat quam lignum, & hac de causa tenuißimum est medicamentum, & adstrictionis non particeps; propter quam tenuitatem (sic respondetur ad alteram argumenti partem) ob quam anteponitur Guaiaco, citius apparet caliditatis operatio, si quæ est, & talis sit concedenda. Eademq; ratione salsæ facultas (vt scribunt doctißime quidam ex Modernis) valet magis contra eum morbum Gallicum, qui mitior est, & aut inceperit, aut declinarit.

Hæcq; sunt, quæ breuißimo temporis spacio, & currenti calamo (et si priuatis nunc, & publicis lectionibus detentus, scribere potui, pro rei veritate, & destructione Paradoxi; Solutiones nunc argumentorum quamprimum expecto, & si quas habes rationes, & authoritates, in medium adducere ne dedigneris, dummodo fideliter à te & non falsò (vt in casu de vini potus administratione, secundum multorum sententias, vanas omnes) adducantur. Datum Senis die tertia Januarij. 1593.



VM veritatis noſcendæ omnibus hominibus natura inditum ſit deſiderium; vix tamen attingere datum eſt paucis, quamquam enim eius initium maxime ſimplex eſt, & natura clariſſimum, atq; apertiſſimum; multiplici tamen prodeuntium compage inuoluitur, vt externa potius, quam interna pateat. Hinc eſt, quod multarum rerum elementa, quæ præcipuè ad medicæ facultatis vſum impendantur, non mirum eſt, ſi omnibus Medicis cognoſcere non licebit, ſed tãtum quibuſdam, ac magis rationalibus, qui ſcriptis clariſſimorum virorum per multas lucubrationes, ac longam exercitationem operam dederint, quod ſignificauit Hip. pri. Aph. pri. Vita breuis, & quæ ſequntur. Nec modo conſilium meum eſt tua contumelioſa verba repellere, quæ, abſque ratione illata regredientur, vnde egreſſa ſunt, & ipſa veritas magis eluceſcet. Illud ægrefero, quod omnes mea de cauſa admirantur, cum nemini paradoxum à veritate alienum, ac medicæ artis profeſſore indignum pronũciaſſe reperiam: ſed cum ſapientibus tantum quibuſdam, Sarzaparillam paulo calidiorem, ac minus ſiccam eſſe, quam lignum guaiaccum pronunciarim, quod tecũ prius in caſu Mulieris, de qua mentionem facis, experiri tentaui, quibus non aliorum geſta reprehendi; ſed Autorem approbatiſſimũ laudaui, ac multas etiã rationes ipſis in medium adduxi, qui verò vno ore

tuam potius ſententiam in hoc confirmarunt, ſic indecentia in principio à te poſita, in fine falſiſsima patebunt; & tunc temporis, velis nolis, ſcriptis, ac doctrinis grauiſſimorum virorum tãtum me operam dediſſe, quibus condigna erit fides, & non alijs confirmandum erit, quos profectò vel maxime honoro, & quibus à nobis adhibendæ ſunt gratiæ, cum inuenta nobis tradiderint, & iter facilius commoſtrauerint. Si enim Empedocles, Anaxagoras, & Plato non fuiſſent, ac tandem Ariſtoteles in rebus naturalibus; Hippocrates, Galenus, Aetius, Paulus, & Trallianus in facultate medica; quid nobis eſſet? Ego verò in hoc, etiamque in alijs DEVM Optimum Maximum precor, vt me ab huiuſmodi erroribus præcaueat, & ſuo lumine, quo ſolet humanas mentes illuſtrare in ſinceram dirigat veritatem. Damnabunt forte tecũ multi hoc inſtitutum, quod temerarium videatur, putare me videre, quod oculatiſſimi illi non viderunt, & hac ratione, ſolent enim eos reprehendere, quicumque noui aliquid afferunt, tamquam paradoxa loquentes, vt à te poſitum eſt in quęſtione: Attamen, quod à me viſum fuit, ex oculis D. Andreæ Cæſalpini, Præceptoris mei ſapientiſſimi vidi, & audiui, vt lib. i. quæſt. Med. 4. & i. Med. facult. 3. & x. & 5. Hiſt. Plant. 27. qui profectò nemini eſt ſecundus, vt Ioan. Mong. Ioan. Coſteus in cap. de aniſo apud Auic. de gloria ipſius, & Petri Andreæ Mathioli mentionem fecerunt. Sed ad ſoluendas rationes poſitas me conuerto.

AVthores multos de SarZaparillæ, ac Ligni Indici natura peragentes, te perlegisse asseueras; at quid sit eorum calidius in litem vertentem inuenisse neminem, et si te authoritates Doctissimorum non vrgeant, propemodum infinitæ essent, rationibus insistemus potioribus. Quorum Authorum, vel authoritatum non solum loca, nomina, cognomina desidero ex tuis literis, verum nec etiam patriam reperio, & sic aut nullum, vel non omnes legisti. Tuas igitur rationes forte inanes omnes esse, vt tandem cognoscas, & quantum tecum, qui in hac reperiuntur sententia cecutiant. Accipe, fundamentum tuum est Sarzaparillam frigidiorem, ac magis siccam esse ipso Ligno sancto, & hoc probare niteris rationibus pluribus, authoritatibus, experimentis, ac exemplis, experimentum circa sensum gustus & tactus, ex odore, & sapore, ac exemplum in ventriculi imbecillitate: quia per hæc nobis venandæ medicamẽtorum vires. Antea quam difficultates soluãtur, præscire oportet; quod tam medicamenta simplicia, quam composita, ex partibus similaribus, ac dissimilaribus conflantur, quemadmodum & ipsa animantia; non solum igitur Medicum philosophum similaria cognoscere, verum etiam & dissimilaria, interna, & externa est opus; alioquin medicamentorum vires non ritè inueniuntur, nec etiam eorum facultates optime à medicis subministrantur. Inde notum est, quod communis vsus, & ordo cognitionis virium medicamentorum ex colore, & sapore sumitur, vt 2. simp. 4. & 4. simp. 23.

& Arist. de sen. & sen. 4. non autem 2. de anim. vt asseris: Verum autem odor, & color sæpissime nobis incertam afferunt veritatem: quoniam non æque euaporantur partes, vt patet ex Arist. & Gal. loco citato. Reliquum est, vt ex sapore magis medicamentorum complexiones inuestigentur, quamuis ex sapore etiã congruam veritatem non habemus, & hoc non ex sui natura, at ex plantarum mixtione, si Gal. credimus 4. simp. vlt. & Andreæ Cæsalpino, vt etiam patet experientia, cui non est contradicendum: ob hanc causam non solum saporem in plantis, verum etiam omnium mixtionem perpendere decet. Istis igitur cognitis tunc summus philosopus, atque exercitatissimus Medicus dicitur.

Pharmacum igitur, quod sui natura calidum, & procedit calefaciendo, semper sit calidum, & in corpora suas inferat qualitates: vel per se, vel per accidens sit, à nobis non negatur, nec quod ligni vires, non præditæ sint calida, ac sicca temperie, vt non nulli affirmarunt, qui à Fallopio in lib. de morb. gall. rationabiliter reprehenduntur, à quibus ipse quoque maxime dissentio: *Sed quod experimentum in sensu gustus, ac tactus, detinens in ore, & vlcera abluens ex vtroque decocto, necessitate sequatur, quod ligni temperies sit, ac redditur calidior.* Hoc negamus: quoniam et si caliditas magis in gutture persistere videtur, ac percipitur, non verè caliditas est, sed quædam parua mordicatio, vel potius irritatio, quæ non necessitate probat, ligni temperiem esse natura magis calidam, quã

Sar-

Sarzæparillæ: quia illa irritatio non est ratione complexionis calidę tãtum existentis in ligno; sed ob siccitatem, ac terrestreitatem cum euidenti astrictione exoritur, quibus omnibus ligni natura construitur: quod etiam experimẽto comprobatur in multis medicamentorum generibus, quæ vlcera mordicant, ac vellicant sua siccitate, ac abstringenti terrestreitate, & in quibusdam etiam vlcera conglutinant, & hæc omnia non solum ex caliditate, sed ex dictis. Addi etiam potest, quod, si partes morbosæ, ac vlcerosæ ex piperis, zimziberisque coctione abluantur, quorum caliditas ferè in summo ordine reperitur, minus autem partes incalescunt, hac coctione, minus vlcera vellicantur, quam ligni coctione, si diutius vlcera ex vtroque decocto abluantur, ex muria etiam, & sale magis vlcera vellicantur ob iam dictas rationes; attamen caliditas minus in salso, quam in amaro, & acri sapore reperitur, vt patet 4. simp.

Circa rationes ex sapore, ac odore: diximus supra, quòd secundæ qualitates sunt primarum qualitatum signa, ex Arist. & Gal. loco citato: *At quod odor magis ex ligni decocto, quam Sarzæ percipitur sensu ipso effugi non potest*. Ratio est, quia in materia magis tenui reperitur, quàm in Sarzæ substantia, quæ est glutinosa magis, & non æque partes euaporantur, vt ligni partes. sic ex odore in certam medicamentorum naturam, ac virtutem habemus, authore Arist. de sen. & sen. 4. & 4. simp. 23. inquit Galenus, quę odore carent, crassam, ac glutinosam essentiam obtinent,

cæterum, quæ ſit in eorum calore, vel frigore natura, non dum verè conſtat; hac de cauſa omnium mixtiones ſunt admodum noſcendæ, & hoc modo nõ contingunt errores in ratione, vt Andreas Cæſalpinus ex Gal. *Inſuper ſapor eſt amarior ligni, quam Sarza: igitur calidior, teſte Gal. 4. ſimp. 9. ab exceſſu caloris oritur:* niſi ſimpliciter abſque alia admixtione accipiatur, non ſequitur calidior, quoniam non ſemper veram ac certam ex neceſſitate maiorem calorem nunciat ſapor amarus, & præcipue qui in ligno continetur, cũ non ſit ex multa amaritudine; vt in Abrotano, quæ in tertio ordine continetur in caliditate ratione ſaporis, vt 4. ſimp. ſed parua ligni amaritudo, quæ cum multa admixtione reperitur, ab hac eius caliditas cõtemperatur, vt experimẽto colligi poteſt in multis medicamẽtis, quæ ſunt magis amara, & tamen nõ ſolum non ſunt calida, ſed ſunt frigida, vt opium, cicoreum, ſemina citri, & roſa, de qua eſt exemplum apud Gal. 4. ſimp. vlt. & hoc inſequi ob mixtionem oportet. amaritudo etiam, quæ in abſinthio ad gradum tertium accedere ſua caliditate deberet; attamen ob ponticitatem, ac abſtringentiam, eius temperies calida non reperitur, niſi in primo ordine ſiccaq; in tertio, authore Gal. 6. ſimp. cap. de Abſinthio, inſuper & cæparum ſapor, ratione ſuæ acredinis, in quarto gradu eſſe monſtrat; & nihilominus ob eius humiditatis admixtionem ad ſummum ordinẽ caliditatis non accedit. Sed quid ad probandum, quòd ſapor amarus non ſemper eſt neceſſe ad confir-

mandum calidiorem esse quæramus? quod apertissime exemplo, atque experimento colligi potest in ipsa Sarzaparilla, quæ absque dubio calida siccaq; est, vt omnes sentiunt; Verumtamen eius sapor insipidus est, qui apertissime frigidam complexionem ostendit, si Gal. credimus 4. simp. tamen à Petro Andrea Mathiolio, & ab omnibus Scriptoribus, calidam, ac siccam esse, dicendum est: igitur non semper amaro sapore nobis medicamentorum virtus vere manifestatur, & eorum complexio; & idem ad saporem acrem est dicendum, qui non semper *vlcera vellicat, vt scribis ex omnium Autorum mente*, vt manifestum est in quorundam acrium coctione, vt pulegij, thymi, epithymi &c. tamen in summo ferè gradu sui caloris cōsistunt; non mordicant verò, quia non sunt terrestri substantia prædita; *ad rationem verò ligni esse extensiue calidius, & intensiue ob eius pinguedinem; vnde magis diureticum esse, ac calidum:* superius ex dictis satis à nobis probatum est, quod non sit magis calidum.

Præterea, dum quæris probare, Sarzaparillam frigidiorem, ac ficciorem guaiacco esse, & rationem non inuenis, non admodum miror, cum Sarzæ naturam, atque ipsius complexionem non intelligas, & per consequens verba Excellentissimi Thomitani, & Fallopij non percipias, *qui in ventriculi imbecillitate, à frigido orta, rationabiliter imperant, Sarzæ decoctum vitandum, consulentes autem ligni decoctum sumere, quòd ventriculi imbecillitatem quam plurimum iuuare queat, vt quotidiana experientia docet*. ratio igi-

tur eſt, quòd iſti grauiſſimi Viri Sarzæ decoctum non prohibent, & obeſſe poteſt ob ipſius frigiditatem in tali affectu, vt à te dictũ eſt, quia error eſſet in ſenſu in ratione & in experimento, ſed Sarzæ decoctũ ab ipſis vitandum; quia Sarza aſtrictionis eſt expers, qua abſtringentia indigent membra coctioni dicata, & præcipue ventriculus, qua abſtringentia lignum guaiacũm eſt maxime præditum, & ad eius decoctum in hoc caſu ſe conferant, & verba à te poſita *Ob Sarzæ frigiditatem ob eſſe poteſt*, non ſunt, nec eſſe poſſunt verba Thomitani viri grauiſſimi, vnde, vno inconuenienti dato alia contingere videntur.

Ad id, quod affers Recentiores omnes in morbis frigidis, tutius, ac rationabilius ligni decoctum magis, quam Sarzæ ſumere imperare, & hac cauſa omnes magis calidum eſſe fateri, ac ſubminiſtrare, atque ob id quærendum eſſe, an hoc arte fiat, vel ſola opinione; ſi arte, ratione ſimul, ac experimento; ſi opinione, ignorantiam afferret. Ad hoc reſpondendum, quod Authores in morbis frigidis non ligni decoctum ſubminiſtrant, eò quia ſit magis calidum, quam ſarzæ: ſed cum ſit ſemper ferè in talibus coniuncta materia glutinoſa, humida, craſſa, tenax, ac viſcida, & in ligni decocto ſit cum multa ſiccitate tenuium partium, conuenit in talibus hoc magis, quam ſarzæ decoctum, vt contrarium, vt in Epilepſia, Apoplexia, paralyſi, ac in cęteris huiuſmodi particulæ aliquæ ſixis. Inſuper, quòd *experimentum periculoſum, ac iudicium difficile*: quomodocunque ſit, Hippocratem in pri. Aph. 1. intelligas.

Sed,

Sed, vt melius quæramus, Sarzaparillam magis calidam, ac minus ſiccam eſſe; quam lignum Indicum; videndum primum eſt, quod cũ Sarzaparilla nouum ſit medicamentum ex Occiduis Indijs, ab Hiſpanis allatum, teſte Fallopio in lib. de morb. gall. ad confirmandam hanc rationem alicuius authoritate, non habemus Authorem magis fidum, quam Nicolaum Monardinni Hiſpalenſem, qui optime, ſecundum Hiſpanearum, atque Indorum communem ſententiã ex pluribus experimẽtis erectam eſſe ſcripſit. Inquit enim iſte Autor, Sarzaparillam calidam, ac ſiccam eſſe quaſi in ſecundo ordine: Ideo complexionibus calidioribus eſt detrimentum, & præcipue, ſi ipſius hepar reperiatur calidius. Hac ratione conficit ſirupum, in quo Sarzæ caliditas, ac ligni ſiccitas contemperatur, in quibus verbis, ſi optime perpendantur, manifeſtè affirmare videtur, Sarzaparillam calidiorẽ, ac lignum indum ſiccius eſſe. & quamuis ſapor inſipidus in ſarza ſine acredine reperiatur, qui frigiditatem arguit, vt ſuperius dictum eſt, ex Galeno: experientia tamen, quæ eſt rerum omnium magiſtra, manifeſte contra ſentire videtur, quod affirmare oportet ſub ſarzæ ſapore inſipido, ac glutinoſo, aliquam ſubſtantiã acrem, ac ſubtilem latere, non vt in ligno; propter quam rationem excalfacit, exſiccat, ac ſudorem prouocat: ligni Indi ſiquidem notior guſtui amaritudo, quæ caliditatem oſtendit, vt pars retinoſa; attamen cum amarus ſapor coniunctus ſit cum multa ſubſtantia terreſtri, lignoſa, frigida, ac ſicca; mani-

feſtè effectus videntur magis exſiccando, quam calefaciendo. Et quamuis idem Author, in fine capitis de ligno Indico, dicat, calidum, ac ſiccum eſſe in ſecundo ordine; non propterea ſibi contradicit, vbi affirmat Sarzaparillam eſſe quaſi in ſecundo gradu calidam; ſi modò quis optime conſideret, quod habet Gal. 5. ſimp. vlt. Nam cuiuſlibet gradus tres partes aſſignat, principium ſcilicet, medium, & finẽ. Etenim cum inquit Monardes, lignum eſſe calidum, ac ſiccũ in ſecundo ordine ſimpliciter; non ſic accipiendum eſt, vt in qualibet qualitate ad finem ſecundi ordinis perueniat: propterea quod eius dictum verificari poteſt, ſi perueniat ad principium, aut mediũ, vel vnius, vel duarum qualitatum. Eodem modo cum dicit, Sarzamparillam eſſe quaſi in ſecũdo gradu calidam, ac ſiccam; exactius oſtendit (& quidem cum Gal.) ad finem, vel vnius, vel aliarum qualitatum non peruenire. Ex quo patet, in verbis ipſius nullam eſſe cõtradictionem. Iſtis igitur piæ cognitis rationibus, Sarzaparillam calidiorem magis, ac minus ſiccam, quam guaiaccum eſſe confirmandum.

Quare mihi prorſus videris de genere in aliud traſcendere genus, quòd *lues gallica aliquando magis à sarzæ decocto caſtigatur, ac citius eius caliditatis notas producit*, quamuis eſſent ad iſta nonnulla dicenda, non vereor: *at id euenit, quia luis caliditatem ſarza corrigit, ac ratione ſiccitatis magis iuuat, ac tenuiſſimum sit medicamentum, & iſtis rationibus anteponitur guaiaco*. Hoc admodum miror, & non vini potus admi-

nistrationem in febre maligna, & locum Fracastorij à me citatum, in quo non nulli in tali febre meracum propinasse scribit, & ipse quoque non simpliciter negare videtur, inquiens, si fieri potest nō detur; Verumtamen, cum in tali febre à nobis proposita fuit aliqua vini albi portio diluti, non ratione morbi conuenire diximus, sed ob virium imbecillitatem, & ex vita ante acta in ægrotante, & nō falsò in medium adduximus, vt dicis, & testis est Nobilissimus, atq; Clarissimus D. PetrusFranciscus Tutus, & alij nonnulli. *Lignum verò noxam inferre*: vt exemplum, ac experimentum à te non vere positum, in Muliere quæ rationabiliter à nobis curabatur, manifestum est, te non legisse Fallopium de morb. gall. 63. & 94. nec alios, in quibus locis Author apertè declarat, quòd lignum medicamentum est maxime regium, & in lue venerea primum locum tenet, & secūdum sarza; & sic non anteponitur Indico ligno, etiamque noxam non infert: et si Mulier à sexta die assumptionis ligni indici decocti, omnes alios dolores mitiores euasisse, & capitis dolorem increuisse, hoc non solum ligni proprium, sed etiam sarzæ, à sexta die, vel octaua assumpti decocti, vsque ad duodecim, vel quindecim dies, & postea quiescunt, si Fallopio lib. de morb. gall. 94. & alijs quibusdam credimus: Ideo inquit Author nunciate hoc, ne scandalo afficiantur ægri. Istis igitur rationibus manifestum tibi fit, quòd non solum ligni, & sarzæ complexionem ignoras, verum etiam luis venereæ essentiā, quemad-

modum cum alijs quoque, non solum morbi naturam, quo Religiosissimus, Nobilissimusque Abbas Tutus corripiebatur, sed etiam ipsum præsagium; quæ omnia à me longa experientia, atque exacto iudicio, tum in natura morbi, tum in præsagio optime vno modo, & alio modo non optime iudicatum fuit. Quibus à te, ac alijs ignoratis, eius Anima festinanter ad Cœlos euolauit, quiescens à laboribus suis. Et hæc ad soluendas tuas vanitates longè sufficiant, & in futuris ad alia argumenta protestando prorsus non esse amplius responsurum.

Datum Senis, tertio nonas Febr. 1593.

Hieronymus Minettus Aretinus.

Fr. Antonius à Liciniano Commissarius Sanctæ Inquisitionis, concedit vt possit imprimi.

Faustus Melarius Vicarius Sen.